Toletana Decimarum super Tenimentis de Perobequez, & Vtrada.

Reu. Pater. APprobanda omninò videtur decisio edita coram R. P. D. meo Cerro in Rota diei 15. Ianuarii anni præteriti, quatenus recedendo à præteritis re-
solutionibus excepit prædia *de Peropequez, & Vtrada* à solutio-
que Decimarum, quam promouet Reuerendissimus Archiepisco-
pus Toletanus vna cum aliis earundem decimarum comparticipi-
bus. Quia cum præstatio decimarum, siuè debita ex concessio-
ne, aut priuilegio, siuè consuetudine inducta simili modo contra-
ria consuetudine valeat diminui, atque ad certos limites coerceri,
vt ex *Glos. in cap. à nobis de decimis notant frequentissimè Cano-
nistæ, & præ cæteris Monet. de decim. cap. 5. quæst.4. num.87., & 89., Panimoll. decis. 34. num. 3.*; Hinc cum respectu istorum
prædiorum constet, quod nunquam decimæ fuerint solutę, ista
obseruantia adeò vehementer vrget, vt vincat vi sua quamcum-
que iuris assistentiam, quæ DD. Aduersariis posset patrocinari,
non minùs, quàm si exhiberetur speciale priuilegium, quod no-
stro Monasterio hanc libertatem à solutione decimarum indulge-
ret, vt in specie pro exclusione Parochi vniuersalis aduertit *Card.
de Luc. de decim. discurs. 11.num.3.*, & dixit *Rot. post Tamburin.
de iur. Abbat. dec.48.n.6., et seqq.*

Non enim dubitatur, quod memorata prædia spectent ad eam Clas-
sem bonorum, quæ nostrum regium Monasterium serere consue-
uerat proprijs sumptibus, & expensis; Vndè, quemadmodum
omnes ferè Religiosi hoc vniformi priuilegio donati noscuntur,
vt immunes prorsùs sint ab onere solutionis decimarum pro illa
specie bonorum, quæ excolunt, vel propriis laboribus, vel ex-
pensis, ad *Text. expressum in cap. ex parte il primo de decim.* de
quo meminerunt ibidem *Ancaran. num. 3., Hostiens. num. 4, &
Butr. num.9., Guttier. consil.5. num. primo, Monet. d. cap.4.n.56.
Barbos. de off., et potest Paroch. part.3. cap.18. §.3. num.20. cum
pluribus seqq. Rot. coram Dunozz. Sen. dec. 77. nu.1.*; Ità nulla
occurrit iuris resistentia, vt non dissimili modo ista exemptio in-
troduci nequiuerit præsidio consuetudinis legitimè præscriptæ,
quæ nil minùs operatur, eo, quod tribuat explicitum priuile-
gium, cum quo pari passu procedit, vt in proposito inferunt *Ol-
trad. consil.146. in fin. Peregrin. de iur. Fisc. lib.1.tit.2. sub n.61.
Tusc. pract. conclus. tom. 5. lit. A. conclus. 507. num.13. Barbos.
Tract. var. tit. Locor. comm. argum. lib.88., Rot. in recent. dec.469.
num.7. par.19.*; Sicuti ab eadem consuetudine introduci potest
legitimus titulus libertatis non soluendi decimas in aliqua fru-
ctuum specie, vt definitur in *cap. Cum sint homines, et cap. Dilectus*
de

de decim., & monuit optimè *Rot. coram Emer.iun.dec.44.nu.2., et seq.et in Burgen.Decimarum de Bellorado* 19.*Februarii* 1717. *§. Vt vim. cor.b.m.Foscaro.*

Quod verò quoad dd. Tenutas *de Perobequez, & Vtrada* fuerit probata ex parte nostrarum monialium, ista plusquam immemorabilis consuetudo redditur euidentissimum ex processu anni 1641. transumpto per Cancellarium Curiæ Archiepiscopalis ex Tabulario, siuè Archiuio eiusdem Curiæ, & in præcedenti instantia producto; Ex eo enim habetur, quod plures Testes tunc examinati, citata Parte, & seruatis consuetis solemnitatibus deposüerunt de ista obseruantia immemorabili super omnimoda libertate nostri Monasterii à solutione decimarum ex fructibus quos in eisdem bonis præ cæteris recolligebant, Vndè incontrouertibilis euadit nostra probatio cum pro effectu statuendi consuetudinem immemorabilem duo tantùm essent sufficientissimi ad tradita per *Adden. ad Pamphil. decis.* 126., *& decis.* 304., *Rot. in recent. decis.* 250. *numero primo, & decis.* 415. *num.6. part.4.* . cum aliis concordantibus *in Fanen. Præheminentiarum* 19. *Nouembris* 1717. §. *Maximè cor.b.m.Ansaldo* .

Nullumque inesse potest dubium, neque super necessaria ætate dd. Testium, neque super circumstantia temporis, in quo de dicta obseruantia testati fuerunt; Nam circa ætatèm inter alios Testes inductus noscitur Franciscus de Burgos senior annis 79. *Summario dicto Numero primo litt. F. F.* Christopharus de Auila annorum 60., vt sub *litt. Q. Q.*, & Aloysius Gomez attingens annos 77., & circa tempus istorum primus deponit hoc seruatum fuisse per annos supra 60., & à tempore immemorabili, secundus deponit supra annos 40. absq; vlla contradictione, & tertius de hoc testatur vltrà annos 58., vt distinctim referendo illorum depositiones probat D. causæ Patronus in sua informatione §. 6. *cum duobus seqq.*; Propthereàque ponitur extrà aleam difficultatis illorum fides cum ad probandam consuetudinem immemorabilem satis sit sola ætas annorum 54. in Testibus ad hoc, vt referre valeant ità fuisse obseruatum per spatium annorum 40., vt concordant *Card. de Luc. de decim. discurs. primo sub num.8., Rot. coram Buratt. dec. 551., et cor Emer.iun.decis.158. vtrobique n.4. cum aliis in Vratislauien.Iuris approbandi Confessarios* 10.*Decembris* 1721. §. *Porrò cor.Reuerendiss.D.Lancetta Decano* .

Dum verò idonei sunt circà ætatem, & circà tempus probatæ obseruantię quadraginta scilicet annorum, quod est primum ex requisitis receptæ opinionis *Glosæ in cap. primo verb. memoria de præscript. in 6.*, concordes itidem sunt in tribus aliis, cum concludentissimè deponant hoc idem, quod ipsi seruari viderunt

per

per integrum curriculum dicti temporis, audiuisse ab eorum
Maioribus, quod nempè nullas decimas pro istius bonis sol-
uerit vmquam Monasterium, super quo requisito disserit *Rot.*
coram Bich. decis. 528. *num.* 11., *& coram Cerr. decis.* 607.
num. 16., *& in Oueten. Funeralium 7. Aprilis* 1704. §. *In hac*
autem coram bon. memor. Molines; Sicuti perfectissimè conuin-
cunt, nil vmquam in contrarium gestum fuisse; Quià, si ad hoc
implendum admittitur. quod Testes referant nunquam audiuisse
quidquam in contrarium per ea, quæ notat *Card. de Luc. de*
iudic discurs. 21. *num.* 61.; *Rot. in Troiana Delationis Crucis*
21. *Martii* 1708. §. *In præsente coram Reuerendissimo Domino*
Lancetta confirmat. 10. *Decembris eiusdem anni* §. *Quod verò*
coram Reuerendissimo D. Aldronando, vix meliori medio potuis-
sent super hoc requisito testari nostri Testes, dùm ideò diligen-
tes fuerunt in coarctando probationem negatiuam, & in exclu-
dendo quemcumque contrarium rumorem, imò quamlibet pos-
sibilitatem, vt referant hoc euenire nequiuisse, quin ipsi hoc
perfectissimè sciuissent, ad firmata per *Rot. coram Dunozzet.*
iun. decis. 855. *num.* 9., *et coram Peutinger. decis.* 149. *num.* 10.,
& in Calaguritana Decimarum de Aguilar 13. *Ianuarii* 1698.
§. *Nec ad coadiuuandam coram bon. mem. Molines*; Nec mirum
proindè est, quod contestes quoquè fuerint in publica voce, &
fama pro finali requisito, dùm de ea vberrimè Testimonium per-
hibent per verba -- *Fuit, & est* -- & tamquam de re manife-
sta omnibus, & notoria, vt videre est super vltimo articulo
eorum examinis, prout faciendum esse monuit *Card. de Luc.*
dicto discurs. 21. *num.* 62., *& cum eo Rot. coram Cerro. dec.* 607.
num. 22.

In præterita instantia consueuerit Pars Aduersa insurgere contrà
legalitatem processus dd. Testum tamquam transumptati sine
compulsoria Sacræ Rotæ, & absque vlla citatione; Vndè nul-
lam in iudicio possit constituere fidem; Verùm debilitas huius
exceptionis optimè tollitur animaduertendo in facto, quod in-
stante Procuratore nostri regii Monasterii pro exemplatione di-
cti processus coram Vicario Toletano, & Iudice causarum de-
cimalium hic per suum speciale decretum iussit, vt fieri possent
diligentiæ, eoque reperto traderetur à Cancellario illius co-
pia authentica, citato Agente Generali reddituum decimalium,
in cuius decreti executionem tradita fuit copia dicti processus,
citato eodem Agente generali; Quamobrem sapit speciem ca-
lumniæ redarguere ampliùs de legalitate antedictum processum,
vtpotè exemplatum ex originali conseruato in publico Tabula-
rio Curiæ Archiepiscopalis; Quantumuis hoc euenerit sinè Li-
teris compulsorialibus Sacri Auditorii, & omissa Partis citatio-
ne, per ea, quæ dixit *Rot. coram Dunozzet. iun. decis.* 943.
num. 10.

num. 10., & in Compostellana Parcchialium 13. Martii 1710. §. Atque eo, quod coram bo. memor. Ansaldo, & in Bisuntina Vicariæ 28. Iunii 1720. §. Haud obstante coram Reuerendissimo Crispo.

Proùt futilis redditur alterum obiectum, quod adductæ probationes factæ fuerint anno 1641. in mero iudicio possessorio, atque ideò minùs integræ remaneant in hoc præsenti iudicio plenario, & petitorio; Vt enim probe respendet præcedens decisio R.P.D. mei Cerro §. *Quin refricari*, cum Moniales tunc temporis ad instantiam Promotoris Fiscalis vocatæ fuissent in ius pro solutione decimarum pro agnis, & lana, ac strenuè opposuissent ad eam non teneri fretæ huic ipsi consuetudini immemorabili non soluendi decimas ex quibuscumque fructibus, quos colligebant in propriis prædiis eorum sumptibus excultis, Iudex speciali decreto illas admisit ad probationem, & in termino probatorio ex parte earundem Monialium exhibiti fuerunt articuli super allegata consuetudine, qui ab eodem Iudice citata Parte fuerunt admissi, sicuti eadem Parte quoque citata facta fuit probatio, mediante examine inductorum Testium; Proindèque cum versemur in probatione plenaria, ac formali, vtpotè secuta servatis terminis probatoriis, ac iudicialibus citationibus, non verò in simplici informatione summariè capta à Iudice, nullomodo prohibetur, quin perfectissimè iuvet etiam in iudicio petitorio, tametsi testes non reperiãtur repetiti occasione iudicii possessorii iuxtà communem distinctionem, de qua *Felin. in cap. Causam, quæ num. 6. de Testib., Menoch. de retinen. remed. ult. n. 38., Rot. apud Post. de manuten. dec. 73. n. 2.*

Alterum argumentum, super quo magis strenuè insistebat eadem Pars Adversa erat, quod de dicto anno 1641. decreta fuerat Monialibus manutentio in quasi possessione non soluendi decimarum ex caseo, lana, agnis, & lacte, & sic restricta ad certam speciem fructuum, qui cum recenseantur inter decimas mixtas inter prædiales, & personales non possit ideò hæc exemptio extendi ad sternendam libertatem pro decimis prædialibus, cum in ista materia decimarum fieri nequeat extensio de re ad rem, nec de vna specie fructuum ad aliam; Verùm discursus iste rectè diluitur in eadem decisione in vtraque sui parte; Non enim subsistere potest, quod decimæ, quæ soluuntur ex grege pro effectu, de quo agitur, dici debeant mixtæ, quia licèt ratione custodiæ, atque industriç hominis participent aliquo modo de personalibus, attamen magis propriè accedunt prædialibus, & in earum Classe communiter reputantur, iuxtà *Glos. in cap. Ad Apostolicæ verb. Personales de decim.*, & viuissima ratio oritur ex eo, quia subrogatæ intelliguntur in locum decimarum, quæ soluendæ fuissent ex pascuis, & assumunt propterea earundem

dem

dem indolem, & naturam, vt egregiè aduertit laudata decisio §. *Ita etiam cum seq.*

Ex quo retunditur etiam altera Pars contrariæ assertionis super interdicta extensione exemptionis de re ad rem, vel de vna ad aliam fructuum speciem, quia cum animalia depascentia in Tenutis nostri Monasterii essent inter fructus illarum, eo ipso, quod à suprà relatis Testibus conclusa fuit totalis exemptio respectu gregis, vt nempè ex eo nulla debita esset decima, nec pro fætibus animalium, nec pro lana, lacte, aliisque similibus, hæc immunitas proficit pro quibusque aliis fructibus, qui ex dicta Tenuta colligi consueuerunt ex post loco gregis, qui ibidem priùs depascebatur; Neque ita nuncupari potest extensio, sicuti non esset extensio iuris decimandi decimam prætendere ex eodem Territorio, in quo mutatus fuisset modus culturæ, & cœpisset loco vnius segetis alia seminari, vel loco vineę oliuetum plantari, vt firmat nostro favorabilis decisio §. *Tali autem*, & præter ibi adductos dixit Rot. *in Burgen. Decimarum de Bellorado* 12. *Iunii* 1716. §. *Quare coram bo.memor. Foscaro*.

Minùsque proficuè obiiciebatur, quod attendi nequeat id, quod antiqui Testes retulerunt, sed quid Iudex in dicto iudicio pronunciaverit; Quocircà cum decretum ab ipso promulgatum steterit in sola manutentione nostrarum Monialium in quasi possessione non soluendi dècimas ex fætibus animalium, aut lana, & caseo, & similibus probatio tunc facta prætergredi nequeat designatas species fructuum; siquidem supplicamus prænotare in facto, quod tunc ex parte Fiscalis instructum non fuit vniuersale iudicium pro solutione decimarum omnium fructuum, quià Monialibus indistinctè colligerentur, sed specialiter petita fuit sola solutio decimarum, agnorum, & lanæ; Propterea que si Moniales ad præseruandam earum immunitatem obiecerunt consuetudinem immemorabilem, non quidem restrictiuè ad petitionem Instantis, sed generaliter pro exemptione à decimis pro quibuscumque fructibus, quoties colligebant ex omnibus indistinctè bonis, & ex dd. quoque Tenutis, vti propriis expensis illas excolebant, & præuia admissione facta ab Ordinario hanc probationem abundanter expleuerunt, mediante recensito examine Testium, in nihilum officit, quod Iudex concesserit solam manutentionem Monialibus in quasi possessione non soluendi decimas pro agnis, & lana, aliisque fructibus eiusdem gregis, quià non per hoc reiecisse censetur exemptionem eisdem mediis probatam pro aliis fructibus dd. Tenutarum, vel aliorum bonorum, quæ propriis sumptibus serebantur; Sed hoc tribuendum est instantiæ ex parte Archiepiscopi promotæ, vtpotequæ restringebatur ad enunciatam speciem fructuum, cum Iudex non nisi

co-

cohęrenter ad Partium instantias soleat interloqui, à quibus quęcunque decreta, & sententiæ interpretationem recipiunt, vt prosequitur eadem decisio §. *Nec obstare*.

Et hoc ipsum magis posuit in aperto iudicium ad instantiam Reverendissimi Archiepiscopi recentibus nostris temporibus reassumptum anno 1703. Illud enim, quia non amplius limitatum noscitur ad decimas particulares ex grege nostri Monasterii, quemadmodum actum fuerat anno 1642., sed generaliter pro solutione decimarum omnium fructuum, quos Moniales colligebant in omnibus prædiis, nulla facta distinctione, an propriis sumptibus colerentur nec ne, tunc pro reiectione istius indefinitæ petitionis assumpta fuit generalis quoque, & vniuersalis probatio huius vetustissimæ consuetudinis respectu omnium bonorum propriis expensis satorum; quæ peracta fuit cum aliis Testibus noviter repetitis, & de hac re referentibus cum necessariis requisitis immemorabilis, & præ cæteris de visu, & certa scientia vltrà annos 60., vt probat in facto D. Causæ Patronus §. 17. Vndè si, vt par est, probatio facta de tempore præsenti iungatur cum alia firmata de tempore antiquo de anno 1642., quasi possessio nostri Monasterii in libertate non soluendi decimas ex controuersis Tenutis, vtpotè propriis expensis cultis est euidentissima suprà centenariam, sicque validissimum ius tribuit allegandi titulum potentiorem, & magis proficuum, & si opus fuerit quodcumque privilegium etiam Apostolicum, vt pluries dixit Rot. *præsertim in Tyburtina Successionis, seù* Recadentiarum 11. *Maii* 1716. §. *Nec de huiusmodi coram bon. mem. Ansaldo, & plenissimè in* Lucana *Vnionis* 1. *Aprilis* 1718. §. *Deindè cum seqq. & 11. Decemb.* 1719. §. *Hæc tamen coram Illustriss. D. Ponente Almæ Vrbis Gubernatore*.

Quin pondus nostræ consuetudinis immemorabilis, & suprà centenariam potuerit, vel in minimo lædi ex controuersia iudicialiter instructa anno 1639., & protracta ad annum 1641.; Quandoquidem cum, vt constans est in facto causa determinata remanserit fauore nostri Monasterii, mediante decreto edito ab ipsomet Ordinario, qui partes Aduersarii sustinet, super manutentione in deducta exemptione a solutione dd: decimarum, atque eius iudicatum transiverit in auctoritatem rei iudicatę cum vniformi, & diuturna postmodum obseruantia, vtique non solùm nequiuit interrumpere vim immemorabilis, seù centenariæ, sed mirificè illam magis confirmauit, & supremum pondus superaddidit per ea, quæ dixit Rot. *in Compostellana Beneficii* 15. *Martii* 1717. §. *Porrò coram Eminentiss. D. Althann., & in Aurien. Parochialis de* Rohamonde 29. *Aprilis* 1720. §. *Neque Officit cor.* R.P.D. Rouault *de Gamaches*.

Hæc quod veteres exceptiones Partis Aduersę, sed quia modo pro-

productus fuit in actis nouus proceus compilatus vigore Literarum compulsorialium generalium, in quo inter cæteras scripturas exhibitas à nostris Monialibus metu excommunicationis legitur inserta quædam licentia vsque de anno 1364. concessa ad supplicationem Regis pro constructione Monasterii sub nonnullis conditionibus, inter quas, quod Moniales soluere deberent decimas Ecclesiasticas ex fructibus omnium bonorum, quæ essent decimabilia, nec valerent impetrare vllam exemptionem à Sede Apostolica cum promissione vlterius illa non vtendi, vbi accideret, quod motu proprio concederetur, forsan putamus ex parte Reuerendissimi Archieriscopi insistendum fore super inualiditate tituli, quo Monasterium exceptum fuerit à solutione Decimarum pro istis Tenutis, sicque cesset præsumptio tituli melioris, qui fundari possit in consuetudine immemorabili, potissimùm quia titulus hic de nouo repertus cum asseruatus reperiretur in Archiuio Monasterii nulla concurrere queat bona fides, quæ necessaria sit ad constituendam immemorabilem.

Quatenùs autem hęc, & similia obiiciantur præter responsiones, quas solidissimè deducit in facto D. Causæ Patronus, putamus facillimè euinci in iure quæcumque argumenta, quæ exaduerso eruiqueant siuè quia per hoc, quod istæ scripturæ reperiantur asseruatæ in Archiuio Monialium percipi nequit quomodò affirmari vmquàm poterit, quod illæ fuerint productæ ad effectum vt eisdem Monialibus irreparabile detrimentum attulerint, etsi rursùs vlla approbatio subsumi contendatur, ex quo exemplar præfertæ concessionis productum fuerit anno 1722. in Signatura Iustitiæ obuia est replicatio, quod sola productio non inducit aliquod præiudicium in producente, vt renunciatum censeatur priuilegio centenariæ, nisi productio facta sit, vel ab ipso Principali, vel à Procuratore suffulto specialissimo mandato, quod fiat exclusiuè ad alium titulum meliorem, non verò comulatiuè, quod fuerit productus in forma authentica, quodque euenerit in eodem iudicio, non verò in diuerso, istaque requisita copulatiuè concurrere debent, ità vt vbi illorum alterum desit, cesset effectus huiusmodi productionis, vt testantus *Card. de Luc. de iurepatr. discurs. 57. sub num. 3. D. Piton. de controu. Patron. alleg. 59. num. 14., & pluribus seqq.* Rot. *in recent, dec. 29. num. 45., & seqq. par. 7.*; Quorum tamen nullum adfuit in casu nostro, vndè inutiliter opponitur, quin nunc recurri possit ad alium meliorem titulum, quem nobis præstat obseruantia plusquam centenaria, & immemorabilis, vt prosequitur *D. Piton. discept. Eccles. 23. num. 86.* Rot. *in dicta Lucana Vnionis* 11. *Decembris* 1719. *§. Cæteri verò coram Illustrissimo Domino Ponente.*

Siuè

Siuè quia concessio isthæc facta noscitur ab Archiepiscopo, & Capitulo Toletano vsque ab anno 1364.; Postquam ideò quisque de per se agnoscit non vnam, sed plures effluxisse centenarias; Quocircà eo minùs cuiuscumque subsistentiæ illa fuerit, non potest quidquam obsistere, ne in tam longæui temporis spatio præsumibilis sit alius titulus legalior, & magis legitimus pro stabilienda omnimoda exemptione nostri Monasterii, ad quam firmandam, vnica tantum centenária satis fuisset, iuxta animaduersa per Rot. *coram Beninc. decis. 352. num. 57. cum aliis in d. Salisburgen. Vicariæ 31. Ianuarii 1714. §. Neque centenariæ, & seq. coram* Illustrissimo *D. Ponente, & 4. Februarii 1715. §. Nec huius cor.* Reuerendiss. *Crispo, & 30. Aprilis 1717. §. Cæterum cor. b. m. Foscaro.*

Quarè &c.

Pompeius de Iocosijs Aduoc.

R. P. D.

FALCONERIO

Toletana Decimarum super Tenimentis de Perobequez, & Vrtado

P R O

Ven. & Regio Monasterio Monialium Clausarum Ordinis S. Dominici Ciuitatis Toleti.

C O N T R A

Illmum, & Rmum Archiepiscopum, & Capitulum Toletanum, aliosque Decimarum Participes.

Iuris.

Typis Zinghi, & Monaldi 1724.